

B. M. II, 112.

h. 28, 5.

IESV IUVA!

II R  
4578

# PLACITA PRINCIPVM

GERMANICE:

Don dem, was ein Fürst zu thun oder  
zu lassen berechtiget ist.

PRAESIDE MAGNIFICO  
DOMINO

CHRISTOPHORO PHILIPPO  
RICHTERO,

ICTO COM. PAL. CAES. DECRET. P. P. FACVLTATIS  
IURIDICAE ORDINARIO CVRIAE PROVINCIALIS ET  
SCABINAT. ADSESSORE GRAVISSIMO

DN. PATRONO ATQVE PROMOTORE SVO OMNI OB-  
SERVANTIA ATQVE PIETATE AETATEM DEVENERANDO

PRO

CONSEQVENDA DOCTORALI LICENTIA

EXHIBET

IOH. CHILIAN. STISSER,

HALA-SAXO.

D. VI. FEBR. MDCCLXXII.



IENAE,

REC. LITERIS IO. BERNH. HELLERI, 1735.





I. N. D. N. J. C.

§. I.

**H**aec est post lapsum humani generis con-  
ditio, ut primogenia, in qua creatum e-  
rat, puritate destitutum malitiosa cupi-  
dinis perversique animi pœnas quotidie  
det gravissimas. Ab ipso siquidem di-  
vini mandati contemptu, primoque vetiti mali morsu in-  
pejus ruit, adeo, ut sacra prophanis miscere, neque non  
deterrimæ vitiorum turbæ totum sese dedicare ceperit.  
Hinc varii in mundo excitati tumultus, hinc seditio-  
num agitati motus, hinc cades orta, hinc rapinæ perpetratae;  
hinc adulteria commissa, hinc veneficia, quid? omnia in  
universum flagitia enata sunt. Merito igitur Magistra-  
tum agnoscimus potestatem, qua scilicet in tantum o-  
pus fuit mortalibus, in quantum communem humani  
generis felicitatem in hac civili beatitudine tanquam fi-  
nem ultimum corde premerent.

II.

Cum enim perdita, ut jam dictum, imagine divina,  
cuius indigentia subjicerentur, meumque & tuum a sce-  
leratoribus in peiores sapius raperetur partes, ita qui-  
dem, ut quilibet fortior bonæ fidei possessorem, injustis-  
sime

sine licet, jure suo privaret, homines, naturaliter quippe ad sociandum habiles creati, aptitudinem hanc in actum ipsum societatis deduxerunt, pars forte, Lampadio teste p. 1. §. 7. conjunctione sanguinis, nonnulli vitæ consuetudine, quidam bello, alii alia ratione, eo unice inclinantes, ut serpentis mali radices forisque intentatas libidines pro virili retunderent. Quoniam tamen & inter ipsos quoque socios, perversa multoties habendi libido exoriebatur, neuterque interim a pari sibi jus & justitiam administrare facile patiebatur, cum jurisdictionem ejusdem in se non admitteret, ideo Magistratu opus fuit, quo videlicet tanquam potentia activa reliqui concives in individuo quippe se passive habentes regerentur modo licet, pro ratione Monarchiæ, Aristocratix, & Politix, regendi diverso: atque hæc adeo vera sunt, ut in qualibet corruptissima etiam societate, vel inter ipsos Latrones inita, locum mereantur.

## III.

Quoniam vero nullum Regimen absque Legibus in stabilitate sua permanere valet, hinc summæ potestatis proprium est leges condere, quibus pro ratione circumstantiarum ea, quæ, tam sacra, quam prophana spectant, ad captum populi accommodantur, ratioque pariter status tranquillior subsistat. Sed de his omnibus in præsentiarum ex professo agere Instituti nostri non est; quippe cum animus non sit uberiores mundo obtundere Commentarium, quare tantummodo Dissertationis inauguralis loco ea, quæ in statu Monarchico principem spectant ex jure Naturæ, Gentium atque Civili adumbraturi sumus.

Placitis igitur Principum, per quæ nihil aliud, quam  
 Supremæ Majestatis voluntatem, legis vigorem in poste-  
 rum habituram, intelligimus, manus occupatores ad-  
 jecturi, varias earundem, in jure nostro reperimus spe-  
 cies, quarum potiores uno intuitu repræsentat §. 6. *Inst. de*  
*jur. n. g. & civ.* Quod enim princeps ad consultationem  
 vel supplicationem alicujus constituit, vel cognoscens  
 decrevit, vel Edicto præcepit, legem esse constat, hinc  
 nata Rescripta, Decreta, juxta & Edicta, quibus addi  
 possent *ex l. 1. §. 1. ff. de Const. Princip.* Interlocutiones  
 de plano factæ, non obstante *lege 3. C. de Leg.* argumento  
 ejus, interlocutiones, quas in uno negotio judicans Im-  
 perator protulit, legi communi nequicquam præjudi-  
 cant: sed responderetur cum Struvio *Exerc. 2. th. 25.* hoc  
 verum esse, si de voluntate principis constaret, quod scilicet  
 eo animo loquutus non fuerit, ut fieret exinde jus com-  
 mune.

Originem horum placitorum, tamen supra quoad  
 Rempub. in genere ostendimus, interim in Rep. Rom.  
 ubi Imperatores rursus summa Rerum potiti fuerunt, a  
 multis pro sat incerta haberi reperimus. Quemadmo-  
 dum enim dubitant de ipsa Legis Regiæ existentia atque  
 conditione, vigore ejus omnis potestas, populo tum  
 temporis in statu Democratico competens, in principem  
 fuit translata, quorum castna sequuntur Francisc. Con-  
 nantus *in Comment. Jur. Civ. lib. 1. c. 16. n. 2. & 3. p. m. 84.*  
 & Vacanius a Vacuna *lib. 1. Declarat. jur. c. 9.* ita quoque  
 de tempore & nomine inter se neutiquam conveniunt,  
 vid. Herman. Vultejus ad §. 6. *Inst. de J. N. G. & Civ. num.*

Manz. *ad loc. cit. num. 10.* Ostermann. *in ration. ad cit. §. 6. ration. propugn.* Sed quidquid sit de nomine L. Regiæ, sufficiat fidem in hoc puncto attribuisse Tacito, qui libro 2. ann. Imperatorem Augustum nomine principis cuncta sub Imperium recepisse tradidit, videtur igitur re ipsa, Lex Regia tempore Augusti lata, unde & fortean derivatio cognominis, quod Lex Augusti vocetur. l. 14. §. 1. de *Manumiss.* exorta est, licet sequentibus demum temporibus nomen regium, quod alias populo maxime erat exosum, adepta fuerit.

## VI.

Atque hæc fundamenta L. Regiæ per Imperatores subsequentes continua serie confirmata vidimus, non tantum in Imperio Orientis, sed & Occidentis summa potestate in Francos atque Germanos translato, (etiam si adhuc Vestigia veteris Legis Regiæ, a Rege fortean quodam Romanorum, de quibus Livius lib. 1. ab U. C. late reperiantur in l. 2. ff. de mortuo inferendo) quæ, licet quoadantenus potestate legis universalis condendæ ad Comitia translata in Imperio nostro censeantur restricta, nihilominus tamen veritati legis nostræ neutiquam præjudicant, cum Imperatori, quoad Majestatem summam a Statibus nequicquam moveantur controversiæ, utut animadvertamus eosdem certo respectu in partem sollicitudinis publicæ fuisse adoptatos. Quibus etiam propter ἀνάλογον Majestatis, quod propter jurisdictionem territorialem, quam jure feudi nobilis & regalis, ab Imperio recognoscunt, iisdem competit, potestatem legis universalis in Territorio ferendæ, nisi forsitan per capitulationem impediatur, merito non denegamus.

VII. Ob-

Objectum five materia, circa quam placita principum versantur, est Territorium, quatenus eum Subditorum Personis, Res quoque & Actiones eorum concernit. His enim Princeps Leges positivas praescribit, ad eoque hoc pacto ea, quae juris Gentium ratione libertatis sunt, limitat, & ad certum quendam casum in Republica emergentem, applicat. Hinc facile videtur responsum ad quaestionem, ab omnibus ferme, tam politicis, quam publici & privati Juris Doctoribus reciprocitam: An Princeps Legibus sit solutus? Videmus etenim hoc expresse adstrui in *l. princeps. ff. de LL.* quam tamen, pro capitum & sententiarum diversitate, diversi diversimodo interpretati sunt; Quidam enim principem juris solennibus tantum eximunt, *argum. l. 3. C. de Testam. Coras. miscellan. 25.* Alii 2. *argum. l. digna vox. C. d. LL.* principem tantum quoad vim coactivam & necessitatem, non autem, quoad vim directivam & honestatem, legibus non obligari positivis volunt. Sunt 3. quidam, qui allegatam *legem 3. C. de Testam.* sic explicant: Principem legibus testamentariis solum, non vero aliis a se promulgatis adstringi. Porro quidam *arg. l. 23. ff. de Leg. 3. verb. videtur.* principem legibus solutum videri, sed non esse dicunt, de quibus *Gothofredus ad Nov. 105. cap. 2.* Alii cum *Cujacio 15. observat. 30.* principem lege Julia & Papia Caduciarum solum, reliquis vero alligatum aestimant, idque argumento *l. 31. ff. de legibus, & l. 56. de Legat. 2.* Multi denique principem Legibus poenalibus solutum, ceteris vero omnibus adstrictum esse garriunt. Sed horum omnium opinionum nervus, id, quod intendit, nequequam consequitur: Concedimus etenim, principem

per legibus divinis, naturæ, imo & gentium, qua pacta scilicet & conventiones, concernunt, solum neutiquam esse, quibus addi possent leges Imp. fundamentales, v. g. apud Gallos Lex salica; apud Germanos Aurea bulla, Capitulatio Cæsarea, Instrumentum pacis, Recessus Imperii, pax religiosa & prophana, & reliqua ad finem totius alicujus Regiminis spectantia; eidem tamen omnem vim, quoad jura positiva, nisi fortean restrictus sit lege quadam fundamentali, denegare velle, non videtur rationi consentaneum, præsertim, cum princeps consideretur tanquam potentia activa, & per consequens semper sit lege positiva, a se lata, superior, imo non ipsa Lex positiva principiis Naturæ & Gentium refragetur.

## VIII.

Hinc facile nobis constabit de forma horum placitorum, ad quam tamen nequicquam pertinet, tamen hoc urgeat *Franciscus à Victoria relect. 4. n. 18.* quod infirmul placita principum non tantum propriam legislatoris, sed semper communem, tam principis, quam subditorum utilitatem spectare debeant, sive id fiat per se, sive per consequentiam; Respondetur enim, bonum civem neutiquam decere formam Reipublicæ invertere. At dari ejusmodi formas, in quibus vel unus vel pauciores vel plurimi, nulla subditorum habita ratione, ad privatos usus cuncta intervertunt, ex *Aristotele 8. Ethic. 12. & 4. Pol. 2.* probat *Dn. Zieglerus ad Grotium, pag. m. 12.* Præterea formæ horum placitorum non officit, quod cuilibet privato ratio eorundem non statim pateat; Exinde tamen nondum sequitur, quod sint iniqua, cum ex majori & superiori probe cognita æquitate censeri debeant desumpta. His adde, quod penitus in eis, quæ Ordinis causa



causa constituta, sunt placita jus constituentium, sequi oporteat. Finalis causa respicit partim rō bene esse Reipublicæ, partim & in Rebus publicis præsertim corruptis, privatam cujusque regentis commodum.

## IX.

Species horum placitorum tam de jure Gentium, quam Civili reperimus duplices, generales atque personales. Generalium mentionem ex jure civili supra fecimus, quæ tamen hoc in loco specialem merentur pertractationem, quatenus videlicet non inconcinne distribui possunt in Ecclesiastica atque secularia. Ecclesiastica Principum placita Augustanæ Confessioni addicti, jure quasi postliminii, sibi vindicarunt per Pacem Religiosam, anno 1555. etiam si pontificii Status seculares, vigore Concordatorum ( uti Pontifex prætendit ) Germaniæ, inter Imperatorem Fridericum III. & Nicolaum V. Papam erectorum, eorum usum non exerceant. Spectantur autem hic placita Ecclesiastica potissimum in Consistoriis, per quæ Princeps jura Episcopalia exercet, præsertim, si dispensationes in matrimonialibus circa gradus jure positivo prohibitos, ( nam contra jus divinum undiquaque ea est invalida, quicquid olim Papa sibi respectu Regis Poloniæ & Lusitaniæ potestatis sumserit ) ut & Nuptiales dies, copulationes, pœnitentiam ecclesiasticam, & alia huc pertinentia, consideremus. His annumerari valemus tolerantiam Religionem Reformata, Pontificiæ & Lutherana, quippe in Imperio nostro approbatarum, per novissimum instrumentum pacis Casareo - Svecicum, anno 1648. Sed quid de aliis sectis v. g. Photinianis, Arminianis, Anabaptistis, vel ita sic dictis Quackeris & Puritanis,

an & hi accedentibus Principum placitis, tolerandi ? Sane pro & contra prostant rationes. Pro affirmativa namque facit, quod, si Principes Imperii vi jurisdictionis Territorialis Judæos recipere possint Religionem Christianorum penitus execrantes, multo magis eos, qui doctrinam de Christo amplectuntur, utut in Articulis certis fidei a nobis sint discrepantes: Eo siquidem, citius, cum nobis conversantes falsitatis in fide argui, & in viam veritatis reduci queunt, quibus ad stipulatur ratio politica colligendi plebem numerosam augendique in simul ærarium, modo tranquille vivant & turbas non excitent. Negativam svadet *cap. 5. citati Instrum. Pacis*, ex quo probabiliter elucescit nullas alias, nisi Lutheranam & Pontificiam, quibus in *cap. 7. Instrum. citati* adjuncta fuit Reformata, approbatas esse. Nos malumus in hac sententiarum diversitate iudicium nostrum suspendere, cum certi simus, quemlibet cordatum Principem nunquam de facili concessurum, Zizaniam hæreseos inter triticum veritatis succrescere.

## X.

Secularia Placita Principum vel tempus belli respicere ad opinamur, vel pacis. Bellum quod attinet, videmus principum placita, ratione juris sequelæ, Aperturæ, Selectus, Excubiarum, emendæ annonæ, abjiciendi tecta lignea, hospitandi milites, indicendi Contributiones & collectas extraordinarias ad conferendum militem, & reliqua plura, quæ bellica occasio, ex necessitate sæpius inevitabili imponit. Pacis tempus ex contingentiæ facti tot Principum placita persequitur, ut ea enumerare cuncta si vellemus, etiam quamlibet hominis actionem, quod impossibile tamen, in individuo æstimare necessum

\* ( II ) \*

cessum haberemus. Labet interim eadem dividere in civilia & criminalia, civilia inidem in processualia & extraprocessualia. In processualibus habemus restitutionem in integrum, Impetrationem dilationis quartæ, introductionis juramenti Calumniæ, antequam Apostoli reverentiales a iudice a quo concedantur, coarctationis fatalium, imo potestatem reformandi integrum, (ex quo potissimum noster desumptus est) processum juris Canonici, & reducendi eundem ad pristinam simplicitatem veteribus quoque haud incognitam, uti notabile exemplum exstat in l. 3. ff. de his que in Testam. delentur.

XI.

In extraprocessualibus occurrunt politica, respicientia subditos partim in individuo, partim in communi. Illa sunt, quando ex beneplacito Princeps ordinationes certas vestimentorum (salvo privilegio Nobilium, Doctorum, vigore Ordinationum politicarum Imperii) & Conviviorum in nuptiis & baptizazione infantum condit, vel jura braxandi promiscua, item vendendi potabilia prohibet. Hisce adjungerem jura venandi (utut non distingar, eadem ad Regalia certo modo referri posse) quæ subditis præprimis, si per ea ab expeditionibus ordinariis avocentur, vel alias ansam latrociniis suppeditent quoque licite auferri possunt, modo prvideatur, ne fera multiplicata nocumento agris vel vineis sit subditorum. Idque adeo verum, ut pro bestiis ex banno principis ferino furto subtractis, si pretium quinque solidorum sive decem thalerorum Imperialium, vel secundum observantiam Scabinatus Jenensis viginti Joachimicorum excedant, (quicquid dicat *Frantz. de potestate principis. n. 31. apud Arum. disc. 42. vol. 4. jur. pub.*) pœna laquei licite imponi possit.

possit. Hæc in communi scil. occupata sunt circa Nundinas provinciales, diesque singulis septimanis ad vendendum destinatas; Indictionem vindemiarum & Messis, similiter & cessationis ab aucupio & venatione nobilibus & civibus quandoque simpliciter, non jure feudi concessa; item prohibitionem Musicæ instrumentalis tam publicæ, quam privatæ, nisi quæ exercitii gratia suscipitur.

## §. XII.

In criminalibus principes beneplacitum exercent, quando vel propria injuria vindicanda venit, vel quando eadem in privato commissæ per pœnæ aggravationem aut mitigationem est corrigenda. Prior, utut atrocissima; tamen ansam suppeditavit Imperatoribus Theodosio, Arcadio, & Honorio in *L. unic. C. si quis Imperat. maledix.* quod si quis dictis injuriosis insurrexerit in Imperatorem, nullam eo nomine pœnam aut durum aliquod sustinere voluerint. Rationem subjiciunt, quia is, aut ex quadam levitate peccavit, & sic contemnendus; Aut insania, & miseratione dignus; Aut injuria, & remittendum juxta ac condonandum est, cum bonus princeps injuria affici nequeat, quamvis aliud cautum reperitur *Nov. 77. cap. 1. §. 1.* & moribus nostris lingua soleat vel perforari, vel penitus abscindi; subsequente ut plurimum capitis supplicio, it. jure Canonico multa pecuniaria, jejunium & pœnitentia dicitur.

## XIII.

In Delictis in privatum a privato commissis, placitum suum exercet Princeps, non promiscue quidem, sed probe ponderatis causarum Circumstantiis. Exinde Crimen lege divina prohibitum, v. g. Homicidium dolum,

sum, Sodomia, Veneficium, ne quidem ex beneplacito summi principis remitti potest, puta, quoad pœnam mortis, aliud etenim est, quoad genus mortis, si forte Rota dignus vel igne, gladio feratur; Aliud est in pœnis jure positivo capitales factis, puta furto, raptu voluntario secundum jus civile, diffidatione, ubi Principem suo dispensationis jure uti posse constat. Nec minus hoc tota die videmus in Adulterio simplici, ubi, si pars innocens pro parte nocente intercedit, regulariter fere pœnam mortis, vel fustigationis ex principis voluntate libera in relegationem perpetuam convertitur. Aliud Doctores statuunt in Adulterio duplicato, ubi Principis remissionem omnimodam respuunt, quod etiam confirmare posset Constitutio Electoralis 19. §. **Es soll aber. vers. Wann aber** / veruntamen hæc juris positivi sunt, quæ principis supremi placita nequicquam auferunt tacite hoc ipsum confitente Carpzovio *part. 2. quest. 55. num. 113. prax. Criminal.* idem quoque procedere reor, si delinquens insigni aliquo artificio excellat, pœnam delicti principem mitigare valere, modo illud, ut supra dictum per se non sit capitale. *vid. Carpz. part. 3. quest. 140. num. 62. §. 5. seqq.* citata praxis Criminalis.

## §. XIV.

Personalium placitorum, quæ personas non egrediuntur, sive privilegiorum a principe concessorum triplicem mentionem facit. *l. 1. ff. de Constit. Princ.* Nimirum, quando 1. Princeps alicui vel sine exemplo subvenit, quale Exemplum esto in §. 1. *Inst. quibus modis jus pat. potest solvitur*, in restitutione ex indulgentia principis speciali. 2. Quando pœnam singularem irrogavit ordinaria gravio-  
rem *arg. l. 2. ff. de his, qui sui vel alieni juris sunt*, ubi casus

de Umbria Matrona ab Hadriano Imperatore in quin-  
 quennium relegata ex eo, quod ex levissimis causis ancil-  
 las atrocissime tractasset. *vid. Bachov. in l. 16. §. fin. ff. de  
 poen. & in tit. ff. de Constit. Princ. n. 47. Philipp. in usu suo  
 pract. lib. 1. tit. 2. §. sed & 6. Ecclog. 17. pag. 47. & seqq.*  
 3. Quando alicui ob merita Princeps aliquid specialiter,  
 indulget, prouti sapissime in ejusdem ministris, Legatis ;  
 Imo militibus, & aliis Reip. causa absentibus videre est.

## XV.

De injustitia horum personalium placitorum multi  
 multa proposuerunt, praesertim ex eo fundamento, quod  
 nunquam Princeps uni specialiter concedere possit ali-  
 quid, quod non insimul ad praesudicium reliquorum sub-  
 ditorum tendat. Veruntamen respondemus, negando  
 totum, quod proponitur, quia multa princeps largiri so-  
 let, quae in tertii detrimentum redundare nequeunt, ni-  
 mirum, si sibi metipsi derogaret in hoc, vel alio proven-  
 tum commodo ; Item, si locum in territorio liberum  
 ad aedificandum vel immunitatem subito concedat a tri-  
 butis, vel aliis territorii oneribus. Secus se res habet, si  
 princeps aliquem v. g. a tributis fecisset immunem, & ta-  
 men nihilominus a reliquis suis subditis non privilegiatis,  
 quippe quos sub lege generali praestandorum continue-  
 rat, eandem quae ante exemptionem praestabatur, sum-  
 mam exigere praesumat. Tunc enim repagula justitiae,  
 eundem quadantenus divellere dubium non est, utut nul-  
 lam vim coactivam agnoscat.

## XVI.

Coeterum varietatem horum placitorum personali-  
 um ex diversis objectis, circa quae versantur, agnoscimus.  
 Quaedam etenim personas spectant ratione meritorum,  
 sexus,

sexus, ætatis, valetudinis, Imperitiæ & sic consequenter. Hinc habemus, quod ii, qui legitime Legationis, Gubernationis, vel alterius expeditionis munere functi sunt, præmiis aliisque honorum titulis nobilitentur; Similiter, quod infantes impuberes, Minores, Senes, imo, nonnunquam, causa cognita, Majores quoque restitutionibus in integrum, alimentationibus, educationibus, ac provisionibus adjuventur, uti haud obscure videre est ex *l. 7. de statu hom. it. ex toto titulo ff. & Cod. de Min. l. 5. pr. ff. de jur. immunitat. l. 19. §. 1. ff. de reb. auctoritat. jud. possidend. §. 13. Inst. de Excusationibus, l. 1. & seqq. Cod. qui atat. vel profess. se excusant. t. t. Ex quibus causis majores. His addi possunt milites, mulieresque, quibus jus positivum probabiliter ignorare permissum est, *arg. tot. tit. Inst. & ff. de Testam. milit. l. 1. C. de jur. & facti ignorantia, toto titulo ad Senatus Consultum Vellejanum l. 12. C. potiores in pig. Exciipiunt allegatos Valetudinarii, Pauperes, aliique necessitate pressi l. 7. it. l. 45. §. 4. ff. de Excusat. l. 8. ff. de testibus. Quibus ultimo annectenda distincta Artificum & Opificum copia, quæ sæpe liberalitatem horum placitorum experta est largiffime.**

## XVII.

Solent hæc placita principum sæpius extendi, pro varia necessitatum circumstantia, inevitabilique infimul Reipublicæ fato id svadente: hinc ortum quoque videmus eruditis ita sic dictum *Dominium supereminens*, quo Principi concessa est facultas in omnia Subditorum bona & facultates, ad boni publici utilitatem promovendam, malumque instans feliciter removendum: Atque de hoc Dominio elegantia plura animadvertimus apud *Hugonem Grotium lib. 1. c. 1. l. §. 5. & lib. 2. cap. 14. §. 7. de Jure belli ac pacis.*

*pacis.* Non nescii quidem sumus a multis hocce domini-  
 um in dubium vocari. Sic enim *Zieglerus ad allegatum*  
*§. 6. cap. 1.* Ambitiosum, inquit, est vocabulum domini-  
 idque, si principi tribuendum fuerit, vereor ego, ne in of-  
 ficio suo contineri semper ille possit, quantumvis opti-  
 mus & integerrimus: quod multa secum adferat ejus-  
 modi fortuna, quæ a recto dimovere soleant. Et quid  
 vero metuendum erit, tum, ubi id Principi suggeris re-  
 rum imperito, privatis intento Commoditatibus, publi-  
 carum utilitatum pene hosti, addicto voluptatibus, ofori  
 libertatis ac veri, nihil minus, quam salutem Reipub. cogi-  
 tanti, sed omnia sua libidine suisque commodis meti-  
 enti? tum vero, quæ Subditorum futura sit Condicio fa-  
 cile omnibus constat. Veruntamen debilis videtur con-  
 sequentia, ab eo, quod per accidens fieri potest, desum-  
 ta, concludensque ad id, quod per se inest. Non enim  
 procedit propositio ista: Principi competentia jura non  
 sunt manifestanda; Ratio, quia aliquando iisdem posset  
 abuti: vel: Per quæ Princeps vitiosus potest fieri dete-  
 rior, illa principi in genere aperire non debemus: Item:  
 Per quæcunque Subditorum condicio potest aliquando  
 fieri deterior, præsertim a principe ad Tyrannidem pro-  
 no, privatisque commoditatibus intento, illa principi, ut  
 tali, concedi nequeunt. Cum hæc omnia effectum Do-  
 minii nostri supereminens neutiquam tollant, quia tum  
 demum exercitium Domini hujus in Principe præsumi-  
 mus, quando id requirit utilitas publica, insimulque, si  
 fieri potest, compensatio promittitur ei, qui suum amisit  
 ex communi. Ratio decidendi est, quoniam homo, in  
 Civitate vivens, rectissime socius dicitur istius commu-  
 nionis; quemadmodum igitur socius in societate com-  
 muni



muni non tantummodo commoda, sed & incommoda quæque occasione societatis emergentia, tolerare debet; ita quoque civis tenetur bona sua cuncta in casu necessitatis in societatem conferre & ad salutem totius Reipubl. e-rogare, sub spe tamen recuperandi id, quod extra portionem suam, quam Reipublicæ debebat, eidem ex collatione facta abest; idque nisi fecerit, officio supremi dominantis, ad hoc cogi, eique in hoc rerum statu jus quantum ex fundamento Domini supereminens rectissime auferri, docet *Grotius cit. cap. 14. §. 7. cum Vasquio lib. 1. Contr. illust. cap. 5. in pr. & lib. 1. conf. 229.* addatur Perez in *Cod. lib. 10. tit. 6.* Quod ipsemet Zieglerus ad *cit. §. 7.* penitus negare nequit.

## XVIII.

Plura equidem de restrictione horum placitorum similiter & de mutatione, imo cassatione totali proferre possemus, si non theses quasdam Disputationi publicæ subdicere, sed specialem potius Tractatum de iisdem conscribere meditati essemus, quare, tibi Lector benevole, quicumque fueris, conatum huncce sedulo commendamus, quem rudi (ingenue confitemur) partum Minerva Deo & tempore volentibus, cessantibusque insuper, ut certo confido, Theoninis malevolorum nostrorum Dentibus politioem aliquando reddere constituimus. Vale interim prosperrime nosque si inchoaveris amare perge!

SOLI DEO GLORIA.

C

COROL.

\* (18) \*  
COROLLARIA.

I.

Imperium nostrum Romano-Germanicum non semper fuit pure electitium, prout hodie est.

II.

Imperator noster, qua talis, nunquam mittit Legatos ad Turcarum Imperatorem.

III.

Legatus non semper Principalis sui locum obtinet.

IV.

Rex Hispaniæ Equites aurei velleris creat non ut Rex Hispaniæ, sed ut Dux Burgundiæ.

V.

Hassia Palatino Vicariatui attribuenda est. Dissent. Buxtorf.

Prin-

\* (o) \*  
PRincipibus placuisse viris non  
ultima laus est ;  
En, STISSERE places ; Laus tibi  
certa manet.

*ita*

PRÆSES.

---

Nuper ab æthereo descenderat  
alma Themistis  
ipsa notâ duplici conspicienda  
throno

Fessa peragratis cunctis (ea cura,)  
Lyceis

Salanam nostram visitat ipsa Je-  
nam, (juris

STISSERVUM vidit, vidit PRIMARIA

Scripta tibi duplicis PERPLACVISSE  
Themis

C

2

Ut

QAT 44578 X 3379266

\* (o) \*

Ut vidit repetit rutilantia culmina  
Olympi

Convenit extemplo concio Ma-  
gna Deum

Nonne regunt homines mea fata ?

Diespiter inquit,  
Laudat & Alcides grande labo-  
ris ONUS

PRINCIPIBUS PLACEAT dixit Juno-  
nia conjux


Cui fortem in studiis gnaviter es-  
se placet.

*Sic Nobilissimo atque Consultissi-  
mo Domino STISSERO, ami-  
co suo, à teneris dilectissimo post  
varios hæctenus expertos, casus ad  
sublimiora tendenti, gratulatur*

J. G. Simon, D.

FINIS.





B.I.G.

Farbkarte #13

*B. M. II, 112.*  
*h. 25, 5.*

II k  
4578

IESV IUVA!

# PLACITA PRINCIPVM

GERMANICE:

*Von dem, was ein Fürst zu thun oder  
zu lassen berechtiget ist.*

PRAESIDE MAGNIFICO  
DOMINO

## CHRISTOPHORO PHILIPPO RICHTERO,

ICTO COM. PAL. CAES. DECRET. P. FACVLTATIS  
IVRIDICAE ORDINARIO CVRIAE PROVINCIALIS ET  
SCABINAT. ADSESSORE GRAVISSIMO  
DN. PATRONO ATQVE PROMOTORE SVO OMNI OB-  
SERVANTIA ATQVE PIETATE AETATEM DEVENERANDO

PRO  
CONSEQUENDA DOCTORALI LICENTIA

EXHIBET

## IOH. CHILIAN. STISSER,

HALA-SAXO.

D. VI. FEBR. MDCCLXXII.



IENAE,

REC. LITERIS IO. BERNH. HELLERI, 1735.

